Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2607

Quelle:
Copyright:

quod clerici ſuos fructus ſuper extantes per ſuos miniſtros ſimul uel ad menſuram poſſunt vendere, et quod ex hoc neque puniendi neque mercatores ſunt appellandi. Multa opportuna circa rerum in uniuerſum emtionem et venditionem maxime ſub finem Tractatus promuntur.

IV. *fol.* 91. Ejusdem *Tractatus de IX. Peccatis alienis.* Conſtat *Sermonibus* XI. quorum *Primus* incipit: *Ad philippen. primo capitulo hortatur apoſtolus fideles. Tantum ewangelio chriſti conuerſamini digne* &c. Ad calcem legitur: *Et ſic eſt finis tractatus de nouem alienis peccatis viri eximij Thome de haſelpach ſacre theologie profeſſoris. Anno &c. 1458.* Tractatuum *Haſelbachii* hactenus recenſitorum ex aliis *Codd. Mſſ.* mentio fit in *Scriptt. Univ. Vienn.* P. I. *Sec.* I. a *pag.* 157. Quisquis eos non obiter inſpexerit, facile ſtatuet, multis Monachorum, Fratrumque *Poſtillis*, *Sermonibus* &c. qui ſub exortum Typographiae lucem videre, prelo digniores fuiſſe. Sed enim Ars illa tardiora et tenuia habuit *Viennae* initia.

V. *fol.* 161. *Incipit tractatulus Johannis Gerſon de meditacione cordis.* Ad calcem: *Explicit — Anno domini M°. CCCC°. XL°.* Mox: *Incipit tractatus eiusdem de ſimplificatione cordis.* Ad calcem: *Explicit tractatus de Simplificatione uel eciam ſtabilicione ac mundificacione.* Demum: *Incipit tractatus eiusdem de directione ſeu rectitudine cordis.* Ad calcem: *Explicit — Anno domini M°. CCCC°. LVIII°.* Piae hae Commentationes, quarum *primam* in antiquioribus Librorum *de Imitatione Chriſti* editionibus non raro additam deprehendimus, extant nunc in edit. *Opp. omn. Gerſonis.* T. III. a *col.* 449. *Antverp.* 1706. f.

VI. *fol.* 173. *In die Cene denuntiatio Edita per egregium doctorem ſacre theologie Magiſtrum Thomam de haſelpach pro tunc plebanum in perichtolczdorff.* Initium Sermonis eſt: *Saluator noſter Mathei. 18. cum dixiſſet collegio ſanctorum apoſtolorum* &c. ut *Cod.* CCCXLII. Sed hic adhaerent: *Caſus Excommunicationis*, *Caſus Papales* et *Epiſcopales*, Item eorum, *qui non debent ad ſacramentum accedere, niſi habita ſupra infra ſcriptis expreſſa voluntate confeſſoris.* Item *Collecta per M. Georgium dictum Sora, quomodo ſit agendum tempore interdicti.*

VII. *fol.* 182. *Sermones* III. de SS. *Barbara*, *Nicolao* et *Leonardo.* Cum *ſecundo* et *tertio* ſuperſcriptum ſit a ſecunda manu: *Haſſelpach*, vix dubitem, *primum* quoque eidem tribui poſſe. Hujus initium eſt: *Sapientia vincit maliciam. Ratio huius. quia luci ſuccedit nox* &c. Secundi: *Statuit illi teſtamentum ſempiternum* &c. Tertii, qui in fine deficit: *Dilectus deo et hominibus* &c.

VIII. *fol.* 194. *Determinatio queſtionis de ſanctificatione ſabbati Magiſtri Johannis Hymel in veſperiis ſuis*, i. e. in Actu ſuo *Academico* ultimo ad gradum Doctoratus